FRIDERICVS

D : G




DVX : HOLSATIAE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

I DA BOX

No 3295.



BIBLIOT CA A. HAFNIENS.

= LN 1173

M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Hertug Adolph Kong Frider. den
förstes Sön, og Stamfaderen
for et Holsteenske Regenter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

IN INSPERATAM MORTEM ILLVSTRISSIMI, CLEMENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI, DN. ADOLPHI, Norvegiæ Hæredis, Ducis Schleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comitis Oldenburgenſis, ac Delmenhorſtenſis &c: Qui placidè, in vera DEI agnitione & inuocatione ardentiſsima, animam creatori reddens, obijt, ipſis Calendis Octobribus, in arce Gottorpiana.

AD

REVERENDISS: ATQVE ILLVSTRISS: PRINCIPEM AC DOMINVM, DN. IOHANNEM ADOLPHVM, ARCHIEpiſcopum Bremenſem ac Lubecenſem Poſtulatum &c. Hæredem. Dominum ſuum clementiſsimum.

ELEGIA

Scripta ab

IOHANNE MAVRITII EKELFORDENSI CIMBRO.

Anno reparatæ ſalutis:

TeMpVs erat qVo ſoL properat ſVb ſigna CoLVbrI,
Vt pater hInC patriæ CæLICa regna ſVbIt.

MDLXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

REVERENDISS: ATQVE ILLVSTRISS: PRINCIPI AC DOMINO DN. IOHANNI ADOLPHO, ARCHIEpiſcopo Bremenſi ac Lubecenſi, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

O Princeps, atauis edite Regibus,
Muſarum ſolidum præſidium, & decus,
Quæ gratabantur nuper Epiſcopi
Et ſacram placidi Præſulis infulam:
Qua nunc te facie, vocibus & quibus,
Mœſtum conuenient funere de Patris?
Affectum excutient pectore penitus,
Quod fecit Stoicus, peſſima beſtia?
An linquent lacrymis, & gemitû obrutum,
Ceu Gentes, quibus eſt mortua ſpes ſuper?
Nec, flecti, Stoicûm, neſcia, pectora;
Nec Gentes dubias, & vacuas fide:
Sed ſuadent monita expendere Apoſtoli,
Qui non vult ritu plangere gentium
Nos, qui de Chriſti nomine dicimur.
Namq;, inquit, certo ſi modo credimus,
Quod Chriſtus fuerit corpore mortuus,
Et ſurgens iterum ex morte reuixerit;
Illos ſic etiam cunctipotens Deus,
In IESV qui ſunt antea mortui,
Excitos tumulis Angelico ſono,
Cum Chriſto ad Superùm transferet atria.
Verùm his atq; aliis plena palatia
Præceptis tua ſunt, Inclyte Epiſcope.
Reſtat, quod votis & prece ſupplice,
Te, Dux alme, rogant Aonides piæ:
Vt tutor maneas propitius ſibi,
Addicto faueas & ſibi cœtui.
Hoc famam illuſtrem ad ſidera perferet:
Et, qui pro meritis omnia digerit,
Ornabit precio multiplici DEVS.

Reuerendæ Celſitud:
Veſt:
Subiectiſſimus
Iohannes Mauritii.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

IN OBITUM
ILLUSTRISSIMI PI=
ISSIMIQUE PRINCIPIS AC DOMINI, DN. ADOLPHI,
Cimbrorum Ducis &c.

ERgòne fatali minitantur cuncta ruinam
  Termino? Et in præceps omnia merſa cadent?
Incutiunt gelidum cæleſtia ſigna pauorem:
  Ingentes ſpirant æquora rauca minas.
Deliquium Solis toties tam triſte videmus,
  Quod totum tenebris inquinat orbis iter.
Sæpius amittit fraternum Luna vigorem
  Obſcurat denſas atra fauilla comas.
Cernis vt immutent annorum tempora mores,
  Nec ſeruent ſolitas poſtmodo, vt ante, vices.
Tranſit in æſtatem rigidæ vis horrida Brumæ:
  Permiſcet vires Phœbus vbiq; ſuas.
Hæc ſunt quæ docuit ſigna obſeruanda Redemptor,
  Omnia cum finem ſint habitura ſuum.

Aſt quotus hic quiſq; eſt, quem tanta oracula tangant,
  Quem moueatue Deus, qui metuatue Deum?
Stat Præco ſacri pandens myſteria verbi,
  Quoq; modo ſint hæc accipienda, monet.
Sed monſtrat lyppis pictas cœciſq; tabellas,
  Et narrat ſurdis ſomnium anile viris.

Has

Has ſtupidas hominum mentes, & pectora dura
Exoſus, pœna plectet atroce Deus.
Nam quando ſtatuit commoti exempla furoris,
Ductores populi tollere ad aſtra ſolet.
Sic etenim nobis vatum monumenta loquuntur:
Atq; vſus teſtis quottidianus erit.
Non opus eſt veterum diſquirere longius acta,
Eheu ſunt proprijs tempora plena malis.
Anne Duces binos ſpacio hoc amiſimus arcto,
Imperij Latij quos duo fulcra voces?
Enſiferum AVGVSTVM, Romanæ ſedis honorem,
Cuius apud cunctos gloria ſumma fuit.
Militiæq; domiq; ſimul clariſſimum, ADOLPHVM,
Qui hoſtibus externis terror & horror erat.
Diuite conſilio, eloquio, grauitateq; morum,
Hi reliquos Proceres conſpicui inter erant.

Ah decus amiſti quantum, Germania, quantum:
His tantis Ducibus dum ſpoliata iaces.
Quæ tibi nunc miſeræ ſolatia, quæſo, ſuperſunt?
En iam Nobilitas pene ſepulta tua eſt.

Cimbrica terra tuis loca latè queſtibus imples,
Euellas, laceres vnguibus ora, comas.
Hic ſileant Cytharæ, ſileat teſtudo ſonora,
Tympana ſingultus ſint, lacrymæ, & gemitus.
Iuſta Tibi cauſa eſt noctesq; diesq; precandi
Peccatis mitem propitiumq; Deum.
Te Pater, heu, Patriæ liquit, generoſus ADOLPHVS,
Annis qui Pylium vincere dignus erat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Cuius virtutes, Generis vel ſtemmata ſpectes,
Poſsis hunc ſuperis annumerare Dÿs.
Nam genus & proauos à Regibus atq; Monarchis
Ducere Martigenis, iactat vterq; parens.
Danorum fines Genitor felicibus auxit
Auſpicÿs, nomen cui Fridericus erat.
Hic etiam Magnis duxit de Regibus ortum,
Hiſtoriæ nobis quod monumenta probant.
Tam fueras patria, Princeps, ab origine clarus,
Nec minor a Matris ſanguine creſcet honos:
Illam ex illuſtri, Pomerania, ſtirpe creatam
Exhibuit, noſtris Principibusq; dedit,
Bugſlao genitore ſatam, quem carmina vatum,
Multa ob præclarè geſta, ſub aſtra locant:
Et genitrice Anna, quæ ampliſsima nomina Regum,
Archiducumq;, ſuis annumerare poteſt.
Induperatores biſſenos namq; recenſet,
A quibus, excellens hoc trahit, orta, genus.

Maiorum hi tituli atq; ornamenta, Nepotem,
Hunc noſtrum poterant amplificare Ducem.
Inclytus aſt voluit factis illuſtribus Heros
Et virtute ſua non minor eſſe ſuis.
A primis etenim, ſtudioſè & gnauiter, annis,
Ad pia virtutum ſemina ductus erat:
Commiſſus fidei Hogreuÿ: qui nomine clarus,
Artibus ingenuis conſpicuusq; fuit.
Hic artes didicit, mores hic hauſit honeſtos,
Linguasq;, Auſonio poſſet vt ore loqui.

AEtatem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Ætatem egreſſus teneram, cum ex indole virtus
Et quidam egregius conſpiceretur honos:
Protinus Haſsiacam puer eſt deductus in aulam,
Quæ tum virtutum laude referta fuit.
Hæc faciem mirata Ducis, mirata pudorem
Inſignem, ac Marti cor iuuenile ſacrum:
Nam ſic virtutes eius de fronte micabant,
Ceu facies ſpeculi viuida ab orbe redit:
Amplexa eſt animum iuuenis, fouit, coluitq;,
Cenſuit atq; oneri cuilibet eſſe parem.
Teſtatum reddit quod Brunvvicenſe duellum,
In quo acies Haſsi & Saxonis vna fuit.
Huius, in ætate hac tenera, Dux ille ſupremus
Vnanimi lectus militis ore fuit.

Hinc patriam repetens, nec ibidem multa moratus,
Auſtriacas animo ſedit adire plagas.
Carolus hic, illo Cæſar cognomine Quintus,
Imperij populis publica iura dabat.
Hanc aulam meſſes aliquot cum laude ſecutus,
Ad patriæ accitus ſceptra gerenda fuit.

Tempore poſt pauco, cum Carolus eſſet in armis,
Et premeret Metas obſidione diu.
E patria ad belli ſocium reuocauit Adolphum:
Qui cum præcipua Nobilitate venit:
Auxilioq; ſuo fert conſilioq; ſalutem,
Et, quacunq; poteſt arte iuuare, iuuat.
Tandem vbi diſceſſum eſt hinc, obſidione ſoluta,
Incolumis Patriæ rurſus ad arua redit.

Illic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Illic tranquillum peragebat, temporis, æuum,
Interea: iudex omnibus æquus erat.
Atq; omni ſecum voluebat mente, Rebelles
Cogeret officium rurſus obire ſuum:
Scilicet indomitum vulgus, turbamq; ferocem,
Dithmarſos, nullum qui ſubiere iugum.
Sed Rex Danorum frater turbabat agentem,
Pacis amans, renuit bella mouere ſenex.
Illo autem, ad ſuperos, humanis rebus adempto:
Cumq; pijs factus Manibus eſſet honos.
Succeſſor regni Fridericus, Ianus, Adolphus,
Contra Dithmarſos arma cruenta mouent.
Conſilio vnanimiq; gerunt rem, ſidere fauſto,
Atq; rebellantes, Marte fauente, domant.

Hac flamma extincta, cunctiq; furore ſubacto,
Vt pax eſt cunctis reddita dia viris.
Omnibus inſtructa rebus iam claſſe, Britannos,
Toto diuiſos orbe, videre placet.
Quò cum peruentum eſt, victo vento, atq; procellis,
Acceptus regni patribus hoſpes erat.
Et Regina Ducis formam obſtupefacta decoram,
Aduentu eſt miris exhilarata modis;
Regifico luxu excepit, tenuitq; morantem:
Donaq; munifica ſunt data vtriq; manu.
Obtulit hæc Zonam, gemmis auroq; rigentem,
Ac, noſtri hoc, dixit, pignus amoris erit:
Appingiq; tuis hanc velim inſignibus illis,
Quæ tamen à populis ſunt ſatis ampla tuis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Vt quoq; poſteritas cernens hæc ſigna fauoris
Vos videat gratos hiſce fuiſſe locis.
Inde pedem referens ſaluum ad genitalia rura,
Omnia tranquillo repperit eſſe ſtatu.
Iam iuſta æquabat virtutem ætate virilem,
Heroico ſolidas corpore alebat opes.
Ne tamen hæredis fierent expertia ſceptra,
Cura quoq; illius ſuſcipienda fuit.
Conſilium capiunt mox, quos labor ille fatigat,
Quomodo proſpiciant hac ratione Duci.
Tandem cum Haßiaca, conſortia iungere, gente,
AEternumq; manens fœdus inire placet.
Annuit his Princeps monitis: Cimbriq; iugales
Mittitur in thalamos Haßica Nympha Ducis.
Hanc ſibi connubio iunxit, propriamq; dicauit,
Hanc ſociam voluit perpetuam eſſe thori.
Ipſum quæ Illuſtri quoq; fecit prole beatum:
Ipſa etiam inſigni hac prole beata parens.
Quam vidère ſuos æquales vincere, multis
Dotibus, ingenij ſummi, animiq; bonis.
Fridricum ſceptris nunc aptum, alijsq; regendis:
Fratrem & qui ſequeris, Diue Philippe, tuum.
Tu verò, Patrui, Patrisq; a nomine dicte,
Viuo etiamnum illo, tu, Patre, præſul eras:
Iam tum Lubecæ Antiſtes, Bremæq; petitus,
Cum dici poſſes hic nimis eſſe tener.
Inferior reliquis nec eras Chriſtiane futurus
Ni tibi rupiſſent fila Deæ ante diem.
Quintus adhuc infans Princeps, puerilibus annis
Spem magnam antiquæ nobilitatis alit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Inclyta Nympharum nec nomina prætereunda:
Quæ ſunt virginibus Regula viua pijs:
Quarum quæ Maior, Sophia, eſt ſponſata Iohanni:
Ille Megalburgos ſub ditione tenet.
Altera, quæ minor eſt annis, quoq; dicitur eſſe
Suecorum thalamis ſponſa petita Duci.
Deliciæ Matris reliquæ tres, atq; voluptas
Dum ſinerent illi fata, fuere Patris.
Hac ampla ſobole Illuſtrem patrem inclyta mater
Felicem cunctis reddidit vſq; locis.

Iſta manet caſtos benedictio ſacra parentes,
Qui Superos vera cum pietate colunt.
Hi ſeriem cernent largam, ſerosq; nepotes,
Atq; almæ Pacis tempora plena bonis.
Cuius erat ſemper Princeps generoſus amator,
Quod furibundo etiam Marte videre fuit.
Nam quoties eſſent ſubeunda pericula belli,
Hæc, operam, vt fierent absq; cruore, dabat.
E multis vno liceat quod teſte probare:
Auguſti vt cincta eſt obſidione Gotha.
A Ducibus namq; imperij, Magnoq; vocatus
Cæſare, ſubijceret colla ſuperba iugo.
Hoſtibus aduentu tantum terroris inuſſit,
Eſſet vt obſeſſis ſpes fere nulla ſuper.
Effecitq; iſta vt ſine viribus Arce potitus,
Acciperet ſontes deditione viros.
Nominis hic fecit tanta incrementa prioris,
Quanta vnquam fieri quis potuiſſe neget.

Iamq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Iamq; animo ſtabat ſententia certa, quieti,
Quod vitæ reliquum, tradere velle, fuit.
Et tantum ſemel eſt poſthæc egreſſus ad arma,
Scilicet in Belgas quando vocatus erat.
Aſt ibi non potuit diuturno Marte teneri,
Multa etenim vidit quæ placuère minus.
Ergo ſolum repetens genitale, & caſtra peroſus,
In ſibi commiſſo munere totus erat.
Religionis opus, cuius flagrabat amore,
Tutatus mira ſedulitate fuit.
Ornauit, coluit ſtudiosè Heliconis alumnos,
Atq; pijs Muſis tecta benigna dedit.

Palladias qua laude ædes ad flumina Schlyiæ
Ditarit, notum cuilibet eſſe reor.
Nec minus in promptu eſt, quo pectore foueris artes
Bardesholmiacæ, Dux generoſe, Scholæ.
Quæ te, præ reliquis, lacrymis deplorat ademptum,
Non minus ac obitum flet pia nata Patris.
Quidnam de reliquis dicam templisq;, Scholisq;,
In quas tàm promptus tamq; benignus eras?

Nec ſolùm expertæ ſunt hæc benefacta Camœnæ,
Crediderim expertam quamlibet eſſe domum.
Quàm bonus afflictis fueris, miſerisq; benignus,
Pauperibus clemens, ſupplicibusq; pater.
Plectere pollutos manifeſto crimine vitæ,
Inſontes noxa ſoluere, doctus eras:
Nullus auaritiæ ſtimulus, non cæca libido,
Non, qui diſtraberet cor, metus vllus erat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Legum exactor eras conſtans, grauis, impiger, acer,
Commiſiſti æquo cætera cuncta DEO:
Attamen in cunctos vultu facili atq; benigno,
Et grauis exiſtens absq; ſupercilio.
Quis verò enumeret cunctas iuſto ordine Laudes,
Hoc in diuino quæ latuere Duce.

Sed tot virtutum tantarumq; Organon illud
Eheu tam ſubito ſuſtulit vna dies.
Suſtulit vna dies toto lacrymabilis æuo,
Holſaticæ domui quæ truculenta fuit.
Quæ non vnius ſatiatur auara ſepulchro,
Nec ſatis ex vno funere laudis habet.
Verum, interiecto non multo tempore, Trinis
Supremum Ducibus clauſit acerba diem.

Eximit humanis, fatali ſidere, rebus,
Quem patriæ patrem ſæpe vocare ſolent,
IOHANNEM, ante annos bis ternos, Principis huius
Germanum, nomen cui Senioris erat.

Hinc vix tranſierant vnius tempora luſtri.
Mœror ab integro, proh, renouatus adeſt.
Occidit, Auguſto thalamo ſociata iugali,
Horum quæ, Fratris ſanguine, Neptis erat.

Tertius hic noſter Præſes: Quem Patria tellus
Non falſa poterit dicere voce Patrem:
Ante diem, ſubitoq; nimis nos deſerit, Orbos
Læticia, plenos triſticia & lacrymis.

Octa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Octobres nobis Hos eripuère Calendæ:
Quæ dignæ, vt lapide has nigrificante notes.

In luctu, in ſquallore iacet, multoq; vlulatu,
In cinere, & ſacco Cimbrica terra iacet.
Aſpicis vt veniant induti corpora pallis
Diuini vates, amploq; Nobilitas.
Mœſta, thalos imos tingentia, pallia mœſtos
Hæredes cingunt, pignora chara Ducis
Flent pueri, lugent iuuenes, mœretq; ſenectus,
Soluitur in lacrymas fœmina caſta nouas.
Quid verbis opus eſt? hominem quem cernere poſſis,
Cuius non ſtillent imbre cadente Genæ?

Attamen eſſe modus debet, requiesq; doloris,
Atq; Deus querula voce rogandus erit:
Mitiget vt pœnas, quas talia buſta minantur,
Lugubres caſus, interituq; Ducum.

Siſte Duciſſa pias lacrymas, triſtesq; querelas,
Parte etenim ſupereſt is meliore ſui.
Corpus humi tegitur, ſed Spiritus incolit aſtra:
Fama eius nullo eſt interitura die.
Mittite ſingultus, Nymphæ, lacrymasq; calentes,
Angelica veſter viuit in arce pater.

Nec vos, magna patris Magni, & generoſa propago,
Perpetuò infelix occupet iſte dolor.
Sacra vetuſtorum noſtis myſteria vatum,
Omnia quod fiant proſpiciente DEO.

Ille Patrem veſtrum dilexit, Eumq; futuris
Exemit fatis, præripuitq; malis.
Non amiſiſtis, ſed præmiſiſtis eundem,
Nam viuis cunctis iſta terenda via eſt.
Is capit æternæ cœleſtia gaudia vitæ,
Nos dolor & luctus, nos mala multa manent.

Intereà illius veſtigia clara ſecuti,
Subiectum, auguſta pace, fouete gregem.
Vos Deus incolumes ſeruet, tueatur, & ornet,
Ac det Neſtoreos poſſe videre dies.

EPITAPHIUM.

Princeps	*Holſatiæ*	*maiorum*	*nomine*	*Clarus,*
Holſatiæ	*fines*	*iuſtis*	*qui rexit*	*habenis,*
Maiorum	*iuſtis*	*titulis*	*quoq; ſtemmate*	*dignus,*
Nomine,	*qui rexit,*	*quoq; ſtemmate*	*dignus*	*auorum*
Clarus	*habenis,*	*dignus*	*auorum,*	*hîc dormit*

ADOLPHUS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

PRECATIO.

SAncte, cælorum, Deus, atq; terræ
Conditor, noſtræ Genitor ſalutis:
Filio qui cum coleris ſacroq;
Flamine ſemper.
Nos tibi grates memori ſonamus
Pectore, inter nos tibi quod ſubinde
Per pios verbi patefacti alumnos
Colligis agmen.
Atq; huic mera ex bonitate donas
Principes, pacis ſtudio calentes.
Qui Nutritorum populi ſacrati
Nomine gaudent.
Ac tibi ex totis agimus medullis
Gratias, noſtri quoq; agent nepotes,
Pro benè, his tantis numero absq;, factis,
Muneribusq;.
Quæ per Illuſtrem patriæ parentem,
Inclytis dignum titulis ADOLPHVM:
Cuius æterno volitabit æuo
Fama per orbem:
Hactenus largis manibus dediſti,
Atq; adhuc nobis tribuis benignè
Singulis: Vita vt ſatis approbabit
Quottidiana.
Tradimus noſtris precibus deinceps
Hos tibi, clemens pater Orphanorum,
Principes, Sceptris patriis relictos,
Atq; Duciſſas:

Omni-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Omnium noſtrûm ſimul & ſalutem.
Te quoq; ardenti gemitu rogamus,
His vt & vitæ ſpacioſa dones
Tempora longæ.

Rebus in cunctis tribuas honeſtis
Proſperum curſum. Tuearis ipſos
Atq; conſerues in eis ſacrati
Munera verbi.

Augeas puræ pietatis, atq;
Dona virtutum cumulatè in illis,
Subditis præſint patrio inſtituto, ac
Ocia ſeruent.

Collige inter nos tibi ſeruientem
Cœtum, Et his puræ foueas in oris
Dogma doctrinæ, Procul hinc Malorum
Pelle furores.

Aureæ nobis etiam quietis
Secla concedas, Vt in hac beati
Viuere, & ſalui Superûm hinc adire
Regna queamus.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)

3295.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3295 4° (LN 1173)